#12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

PARALYSI

Quam
Auxiliis Divinis
DECRETO & AUCTORITATE
INCLYTÆ FACULTATIS
MEDICÆ
In Illustri Argentoratensium Universitate
Pro
Summis in Arte Medica Honoribus
& Privilegiis Doctoralibus
legitime impetrandis
Solenni & placido Eruditorum Examini
submittit
DANIEL WENCKER
Argentoratensis
Ad d. 29 *Aprilis Anni* M DC XCV.

ARGENTORATI, Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

AMPLISSIMO

ET PRUDENTISSIMO

VIRO

DOMINO

JACOBO WENCKERO

CONSULARI AC TREDECIMVIRO

REIPUBLICÆ PATRIÆ

MERITISSIMO,

GENITORI OPTIMO,

ALTORI BENIGNISSIMO,

INSCRIPTIONE

DISSERTATIONIS INAUGURALIS,

GRATAM MEMORIAM

AMORIS ET BENEFICIORUM

PATERNORUM

PUBLICE TESTARI DEBUIT

FILIUS OBSTRICTISSIMUS

DANIEL WENCKER.





Juvante DEO.



INter tot calamitates quibus homo, dum Spiritum trahit, premitur, propter quas non immerito miseram ac deplorandam omnium Mortalium vitam Siracides pronunciat, minimis haud accensendi veniunt Morbi; quippe qui magno dolore & cruciatu, tristi sæpiusque horrenda facie, & quod pessimum, densis agminibus corpus humanum impugnant, debilitant, prosternunt. Quoniam autem horum quoque malorum gradus dantur, ex graviorum nunc numero (cum alias eo clarior Victoria esse soleat, quo durior conflictus fuit) seligemus PARALYSIN: affectum inter tot myriades hominum non usque adeo rarum, diuturnum, molestum, dumque facultates, quæ ad esse animalis faciunt, motum intellige sensumque, adimit, satis perniciosum. Quo nimirum partim SUPERIORUM decreto satisfaciamus; partim eo melius in posterum hocce laborantibus, vel curando, vel mitigando; aut, si hac spe excidimus, ne malum ulterius serpat, præservando, succurrere queamus. Institutum vero nostrum prosequuturi, tritam hactenus tenebimus viam, initium capiendo ab ipso NOMINE.

I. PARALYSIS resolutio, remissio, à παραλύεσθαι quod est resolvi, Vernacula eine Lähme audit.

II. Omnis autem quæ à ratione suscipitur de aliqua re dissertatio, debet à DEFINITIONE proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de Paralysi futura est, ante definire quid sit. Paralysis autem est sensus & motus, aut unius tantum in parte corporis læsio, ab impedito spirituum influxu, manente Sensu interno sive Sensu communi, Phantasia & Memoria.

III. Ab Apoplexia gradu saltem distare ex descriptione hujus facile patebit: dicunt enim esse motus sensus externi & interni subitaneam ablationem, à denegata spirituum Irradiatione, superstite respiratione afflicta. Paucis nunc attingendæ sunt DIFFERENTIÆ Paralysis, quæ deprehenduntur ratione SUBJECTI, Paraplegia enim dicitur, si capiti subjectæ partes resolvuntur, Hemiplegia, si alterutrum tantum latus. Particularis Paralysis, si specialis pars corporis ex. gr. oculus, lingua, manus, pes læditur. Ratione ACTIONIS LÆSÆ, Perfecta, si motus & sensus perit, Imperfecta si motus aut sensus tantum, aut si uterque solum minuitur, tum Stupor nominatur. Sub sensus vocabulo præter Tactum, etiam Visum, Auditum, Gustum, Olfactum, quatenus nimirum hebetiores redduntur, aut plane abolentur, comprehendere possumus. Ratione ORIGINIS alia nullo prægresso morbo obruit subito, alia quosdam affectus sequitur ex. gr. Apoplexiam, Colicam unde Paresis, Arthriditem, Scorbutum. Ratione CAUSARUM hæc ab Externis, illa ab Internis, & si quæ aliæ sunt levioris momenti.

IV. Ordo nunc postulat, ut de PARTE AFFECTA quædam dicamus. Hujus enim quam necessaria intima quoque cognitio, non tantum ex eo apparet quod *Thomas Bartholinus Anat. p. 1.* in genere monet. *Neque quisquam Physicus esse aut dici potest, nisi hanc (Anatomiam) ante omnes*

Doctrinæ

Doctrinæ Physicæ partes ad unguem calleat. Sed ſpecialius oſtendit Inſigne Germaniæ Decus *Herm. Conring. in Art. Med. Introd. p.* 186. *Ante omnia ſane ad morbi cognitionem pertinet, partis laborantis naturam intime habere perſpectam, cujuſmodi illa ſit, quem uſum actionemve præſtet, quem ſitum in corpore obtineat, & deniq; ubinam lateat.* Cum igitur Cerebrum, Medullam Spinalem & Nervos in hoc affectu, unanimi fere conſenſu partem affectam agnoſcant Artis Medicæ Proceres, paucis delibabimus eorundem Hiſtoriam.

V. CEREBRUM autem oſſeo caſtello munitum gemina membrana cingitur, craſſiori prima, quæ in duas diviſibilis eſt partes, quarum exterior validior, interior vero mediocris inter priorem & tenuem Meningem. Craſſa fibris ſe mutuo oblique interſecantibus (ut in cocta manifeſte apparet) conflatur, duos conſtituit duplicata proceſſus, Falcem & alterum inter Cerebrum & Cerebellum; tenuis vero Meninx interiora quoque Cerebri inveſtit. Tota Cerebri moles arteriis bigeminis irrigatur, Carotidibus & Vertebralibus, quæ undiquaque ſe inſinuantes, totam ejuſdem perreptant Subſtantiam, inoſculatione quoque communicantes, quarum una inflata omnes turgent: dum Caput ingrediuntur, unam deponunt tunicam, tenuiores proinde ac in reliquo ſunt corpore: hiſce Cerebri & Meningum pulſus tribuitur. Sinus vero, fere arteriarum more pulſum iterantes, Sanguinem è Cerebri mæandris per venoſa vaſa admiſſum revehunt, inque Vertebrales & Jugulares internas deponunt Venas: numerantur Sinus plures ab Induſtrio *Raym. Vieuſſano in Neurographia p.*15. *Unde fit,* inquit, *ut aſſeramus craſſam ejuſmodi membranam octo ſemper, ut plurimum novem, & aliquando undecim donatam eſſe ſinibus.* Ipſum quod attinet Cerebrum dirimitur in Cerebrum ſpecialiter ſic dictum, Cerebellum & Medullam oblongatam: rurſus hoc dividitur in duo Hæmiſphæria: utraque denuo in partem Exteriorem Cineritiam ſive Corticalem, & Interiorem Albam ſive Medullarem. Priorem ſi luſtramus, pridem liber iſte de Glandulis qui *Hippocrati*

 ad-

adſcribitur, inter glandularum hanc retulit numerum: videamus igitur quomodo cum Recentiorum inventis hoc conveniat, & conſulamus primo ſedulum Cerebri Indagatorem *Marcel. Malpighium p. 270. de Cortice Cerebri. In Sanguineorum igitur perfectorum animalium Cerebro, corticem affuſum minimarum glandularum proventum & congeriem eſſe deprehendi: hæ in Cerebri gyris & protractis veluti inteſtinulis, ad quæ deſinunt albæ nervorum radices, vel inde ſi mavis, oriuntur, ita ad invicem adaptantur, ut exterior cerebri ſuperficies harum congerie efformetur. Figuram habent ovalem. Harum exterior portio contegitur pia matre, ejusq; ſanguineis vaſis, quæ alte penetrant illarum Subſtantiam; pars interior à ſe promit fibram albam, nerveam, veluti proprium vas.* Melius tamen in cocto apparere notat, atramento affuſo & goſſypio leviter deterſo; quod idem Vieuſſanus ſpiritu vini atrato peragit, inſuperque memoratæ coctionis idoneum liquorem, oleum nimirum indigitat, quo illa lento igne eſt perficienda: periculo facto, eadem ratione res ſe obtulit; pars enim corticalis ac ſi granulis conſperſa eſſet, apparebat, atramento aſperſo capitula minora ferè rotunda prominebant, ab his ſuſpenſa manu facta divulſione, oculis ſe fibrillæ albæ copioſiſſimæ ſiſtebant: neque hoc ſimplici ſed repetito experimento contigit. / Singulas glandulas vaſculis præditas notat jam Celebratus Author *p. 273. Hoc tamen æternum eſt, ut corticis ſingula quæq; glandula utrorumque vaſorum extremis finibus irroretur.* Hæc Sanguiflua exquiſito Microſcopio plane detexit *Ant. à Leeuvvenhöck p. 42. Cerebrum ovis rimatus deprehendi ſimiliter in corticoſis partibus ingentem numerum tenuiſſimorum vaſculorum ſanguiferorum, quæ vaſcula quoque corticoſis partibus ſubbrunneum colorem largiuntur. Hanc incomprehenſibilem ſumme exiguorum ſanguiferorum vaſculorum multitudinem ſæpius oculis meis ſum intuitus, videbam quippe ſingula ferè vaſcula iterum dehiſcere in ramulos.* Recens vero deſcripta Corticalis ſubſtantia, non tantum exteriorem ſuperficiem conſtituit, ſed alte quoque in Cerebrum mergitur, & in oblongatam uſque medullam ſe inſinuat; corpora

ſtriata,

ſtriata, thalamique nervorum opticorum cum prominentiis natiformibus de hac participant. Hoc adhuc adjicere lubet, quod non in humano ſolum, ſed aliorum quoque animalium cerebro hæ glandulæ deprehendantur, ita ut eadem ſit omnium animalium ſtructura, obſervante *Malpighio de Cerebri Cortice p.270. & Leeuvvenh. p.47. ita ut inter cerebra Grandium & Parvorum Animalium, nullum intercedat aliud diſcrimen, (exceptis majoribus ſanguiferis vaſis) niſi quod magnitudo illorum conflata eſt ex majori numero partium.* Jam alteram Cerebri rimabimur partem, & quidem oculorum fidei adjungemus teſtimonia ſæpiùs jam citatorum Anotomicorum. *Malpigh. de Cerebro p.115. nam conſtat evidenter totam hanc cerebri albam portionem diviſam eſſe in fibrulas depreſſe rotundas & p.116. eandem fibroſam naturam in pecudis bovis & ſimilium tam crudo quam elixato cerebro obſervavi.* Idem teſtatur *Vieuſſanus p.109. alba cerebri ſubſtantia innumeris è fibrillis ſimul connexis, ac veluti plures in faſciculos diſtinctis conflatur, quod aperte patet dum hæc in oleo excoquitur.* Suum hic tribuit *Leeuvvenh. p.48. quod attinet ad partes cerebri illas, quas medulloſas ſolemus nominare, eas ſemper multis experimentis edoctus ſtatui, magna ex parte ex minimis lineolis ſive vaſculis conſtare.* Magnitudinem quoque circiter deſcribere conatur p.46. *Maxima modo dictorum devehentium vaſculorum videbantur mihi, quantum oculi judicare poterant, obtinere centeſimam partem craſſitiei pili unius.* Cerebelli eandem eſſe ſtructuram ſupra recenſitis teſtibus probamus; & iiſdem partibus Medulla Oblongata conſtat. Ad Spinalem Medullam progredimur, quæ quatuor membranis ſive involucris ſecundum *Vieuſſanum* tegitur, Canaliculis venoſis, ſinibus venoſis, arteriis & venis ſpinalibus humectatur, duplici quoque ſubſtantia conflata eſt; alba ſeu Medullari externa; cineritia ſeu Corticali interna; ideoque inverſa ac in cerebro ratione. Spinalem hanc Medullam nervorum faſciculum *Malpighius*, conſentiente autopſia, ſi nimirum hujus portio in ſpiritu vini maceratur, nominat. A fonte ad rivulos nos conferimus i. e. Nervos, qui omnes fibrillis tantum

tum exceptis quæ à Medullæ Spinalis glandulofa fubftantia derivantur, Cerebrum & Cerebellum originem agnofcunt, fatis etiam numerofa ferie: ad triginta enim novem paria ab accuratiori horum Inveftigatore numerantur. Ex Medullofa Cerebri fubftantia Meningibus obvoluta conflantur, molliorum equidem integer fafciculus; duriorum vero quævis fibrilla tenui meninge inveftitur, venulis & arteriolis donantur: quod fectione majorum patet, dum fanguinem læfi ftillant: manifefte tamen, ut quidam voluerunt, in homine excavati non deteguntur. Paucis monemus, quare fæpius laudatorum Malpighii, Vieuffani integrum textum tranfcribere non dubitaverimus: fcilicet in Neurographia aliis Illi facile palmam præripiunt, infimulque ponderofis rem verbis exprimunt. Quod ipfam partium Fabricam attinet, cuncta memorata, cum aliis univerfi corporis humani membris, ftudio & ingenio præparata & demonftrata perfæpe vidimus, in Ornatiffimo Theatro Anatomico hujus Univerfitatis, ab Ampliffimo & Experientiffimo Viro, Domino JOHANNE VALENTINO SCHEIDIO Med. Doct. & P.P. Celeberrimo, Patrono meo Magno.

VI. Cum extra omne dubium jam fit collocatum, Cerebrum ad glandulas, & quidem conglomeratas optimo jure poffe referri; glandularum vero munus fit, fecernere peculiare liquidum à maffa fanguinea: idem certe ab hac nobili totius corporis parte, & quidem in gradu fublimiori præftatur. Fit enim fecretio liquidi tenuiffimi & nobiliffimi, quod omnium ore SPIRITUS audit, & verofimiliter aëris alimentorumque fubtilior pars & purior eft. Peragitur autem dicta fequeftratio in corticali Cerebri & Medullæ Spinalis fubftantia, actoribus arteriæ & fanguinis motu inteftino, juvantibus cerebro renitente, conformatione particularum & pororum: Spiritus enim ex corpufculis fphæricis conftare, non admodum ineptum videtur affèrere, dum hæc fcil. Sphærica Figura facile eft mobilis,

in quo naturam ſpirituum reſpondere omnes fatentur. Spiritus ſic generatus non ſubſiſtit, ſed motu arteriæ, cerebri, meningum & cranii renitentia, ſubſequente porro ſpiritu in nervos propellitur: hinc nunquam interruptus eſt ejuſdem fluxus in univerſum corpus, tam in Organa motus, quam ſenſus: hoc ſaltem diſcriminis intercedit, inter motum ex. gr. Cordis, arteriarum, ventriculi, inteſtinorum &c. quem naturalem dicunt, quod nolente volente homine tamen peragitur, & ideo poteſtati noſtræ non ſubjectus ſua ſponte abſolvitur: & motum ex. gr. artuum ope muſculorum (licet nulla pars mobilis, omni muſculoſa textura deſtituatur) Brachii, Pedis, quem animalem ſive ſpontaneum nominant, quòd intendi aut remitti pro imperio Animæ poteſt: quamvis & hic quandoque non cogitante vel repugnante Ratione fiat, h.e. mere Mechanice.

VII. Priuſquam ulterius progrediamur, cum aliquoties mentio MICROSCOPIORUM facta ſit, horum vero apud plurimos ſuſpecta ſit fides: operæ pretium erit, paucis eorundem USUM tanquam utilem, jucundum & neceſſarium ſtabilire: neque quicquam nos movebit Triga argumentorum *Kerckringii in Spicilegio Anatomico Obſer. p. 93. Per Microſcopia incertum in Anatomia judicium. Centrum iſtius viſionis eſſe minutiſſimum. Colores ita variare, ita rebus hac videndi ratione affundi, ut quis earum nativus & verus ſit, dijudicari nequeat. Ea, quæ ſic interpolatis viſionibus percipiuntur, fieri poſſe, ut diſcreta appareant, vere unita & continua quæ ſunt.* Primum enim, ſi aperturam ſeu foramen per quod fit viſio, intelligit, uſque adeo verum non ſemper deprehenditur: quippe in majoribus Microſcopiis, (quæ utplurimum adhibentur) apertura pupillæ oculi ferè reſpondet: deinde ad minima magno centro opus non eſt. Abſit ſecundo, colores variare & peregrinos affundi, ſi per medium vitrorum viſio inſtituitur, quin vividiores potius, ut periculum facturo patebit, nativi appareant. Tertium facile ſolvitur, ſi loco *ſunt* poneremus *videntur*: quemadmodum enim quiſpiam o-

culo inermi longe diſtantem quadrangularem turrim rotundam, ſylvas continuas, juga montium concatenata pronunciat; alter vero per tubum turrim quadratam, ſylvarum arbores diſtinctas, juga montium ex pluribus à ſe invicem diſtantibus & per valla interruptis terræ gibbis obſervat: eodem modo res cum vere diſcretis & apparenter unitis ſe habét. Grato igitur ſpectaculo Maximum ex minimis iſtis cernimus, experientia inſuper certi, non fruſtra condita eſſe iſta minima, ſed operandi vi maxima longe antecellere. Inſigni noſtro commodo legimus & data occaſione imitamur elegantiſſimas Obſervationes Curioſiſſimorum Malpighii, Hoockii, Grevii, Rhedi, Leeuvvenhöckii &c. Et ſi vel unicum ingenioſum iſtud inventum PAPILLARUM CUTIS quod Microſcopiorum uſui debemus, exiſteret, ſufficienter jam horum utilitas ſuffulta eſſet. *Malp. de externo Tactus organo. p. 203. Poſtremum examinanda occurrit Manus, in cujus vola elatæ quædam rugæ diverſas figuras deſcribunt, in extremo tamen digitorum apice ſpiraliter ductæ, ſi microſcopio perquirantur, patentia ſudoris ora per medium protracti dorſi exhibent; ut autem interiora paterent, admoto candente ferro facile extimam detraxi cuticulam, quæ ſtriis ſubjecto corpori correſpondet; & ubi ſudoris excretoria vaſa hiant, convexa quædam pellicula interiora verſus non abſimilis cucurbitulæ extenditur, ad edendum forte valvulæ miniſterium, ut interdum tenſa detineat ſudorem, & laxata exitum permittat. Poſt hanc evellendum ſeſe obtulit reticulare corpus, ejuſdem altitudinis, ac alias in lingua obſervavimus, cujus crebris foraminibus continentur non ſolum ſudoris vaſcula, ſed innumeræ penè pyramidales papillæ; hæ autem emergunt à ſubjecta cute: ſub protractis enim ſingulis rugis, quæ in cuticula, & rete protuberant, bini papillarum ordines paralleli per longum ducuntur, in quorum medio diſperſa locantur ſudoris vaſa. Hæ igitur copioſiſſimæ papillæ, juxta morem è cute erumpentes tandem in cuticulam deſinunt, & ſingulæ in plures veluti fibrulas dividi videntur. p. 204. l. c. Ex his & ſimilibus videbatur animus abunde certior redditus, earundem papillarum pyramidalium copiam, quas alias in*

lingua

lingua descripsi, in locis præcipue exquisitiori tactui dicatis reperiri, eodem progigni nervoso & cuticulari corpore, simulq; circumvolvi reticulari involucro, & extimam cuticulam, veluti ultimum terminum attingere, rursus in corporis etiam ambitu easdem conspici, minores tamen, sed prorsus eadem servata structura & situ. Eadem pagina. *Ita ex copiosa harum papillarum proventu, & copiosiori, grandiorique earum congerie in organis, ubi maxime animalia tactus motione afficiuntur, ex earundem etiam propagine in reliquo ambitu, ubi tactus vires etiam exerit, adæquatum tactus organum sufficienter haberi.* / Taceo nunc plantarum earundemque germinis, figuræ salium, animalium minutissimorum, infinitarumque rerum speculationes. Notatu certe digna paulo ante laudati *Malpighij* verba *in proëmio de Renibus* p. 278. nos instigare deberent. *Nec hæreas, an nova vel vetera sint, sed an naturæ consonent prudentius quæras, illud unum tibi spondens, me hanc renum structuram librorum ministerio nequaquam assequutum, sed patienti, longo & vario usu Microscopij*: & *Carolus Fracassatus de Lingua* p. 182. non absurdum credit Salium Figuras ad Microscopicum revocare criterium & dubitantes cum reclamantibus oculorum fidem adhibere jubet: cui merito annectimus Celeberrimi *Bohnij* verba *in præfatione ad Laurentij Bellini de Urinis & Pulsibus. Quantum in partium corporis diversarum, tam solidarum, quam fluidarum, textura rimanda, Microscopia, olim nec visa, nec adhibita, Malpighij, Levvenhöckij &c. profuerint, eorum hodie observata stupenda, olim inter non entia numerata edocent.* Sedulus denique rerum Mundanarum Scrutator *Joh. Christ. Sturmius in Collegio Curioso*, postquam ipsemet varia hoc instrumento tentasset, denique Lectores monet, ut propria experientia uberiorem Organi nobilissimi fructum percipiant. Et tandem, cur oculo imbelli subsidia denegamus, qui manus tamen in Anatomia cultellis, lancettis, stilis, hamulis & syringis armamus. Hoc tamen requiri fere videtur, quod parum in Mechanica & Optica simus versati, quo vitra disponere, corrigere, depurare & si quæ sunt alia, eo facilius peragere queamus; alias enim nausea & tædium cito animis obrepit.

IIX. Sed quamvis exactiſſimam partis affectæ cognitionem habeamus, CAUSA vero morbi in abſcondito latet, fruſtraneum vel ad minimum incertum eſt omne remedium: ita enim *Herm. Conring. L. c. p.* 187. *certe ſine cauſa recta cognitione morbum integrum nemo pernoſcit, quum ſcire ſit rem per cauſſam cognoſcere. Ut porro Medicus medeatur morbo, neceſſum eſt cauſam teneat, ſi non eam quæ primum produxit morbum, ſaltem illam quæ eundem fovet: utpote quum remedia cauſæ morbificæ proxime & proprie adverſari debeant.* Hinc

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas!

Cum autem bona conſtitutio Cerebri & totius corporis, in debita mixtione & fluiditate ſanguinis, aut partium fluidarum; legitimaque conformatione & ſtabilitate vaſorum, ſeu partium ſolidarum conſtet, quæcunque hæc talem in modum offendunt, ut ſpirituum influxus ad motum & ſenſum neceſſarius ſufflaminetur, Paralyſin producent. Cauſæ propterea omnium calculo ſunt EXTERNÆ & OCCASIONALES, aër frigidus & eo magis ſi quoque humidus, qui tranſpirationem impediendo ſerum cumulat, & motum ſanguinis retardat; unde lentor & viſciditas: hinc paludoſorum & lacuſtrium locorum Incolæ magis hoc morbo obnoxii obſervantur: nimis quoque calidus aër, ſubtiliores per ſudorem exturbans partes, humores inſpiſſat, aut jam craſſum ſanguinem cum impetu verſus cerebrum nervoſque adigit: porro Vaporibus Mineralibus, Saturninis, Antimonialibus, Mercurialibus, Arſenicalibus refertus, aut exhalationibus à conclavi recenter calce obducto impurus; quæ ſanguinis temperiem coagulatione, vel violenta fuſione mutant. Exempli loco eſſe poſſunt Metallurgi, Foſſores, Aurifabri, Figuli &c. Forte Syderum influxus & Lunæ præprimis addendus foret, cui neſcio, quos admirandos effectus & ſtupendam vim in Corpora animalium & plantarum tribuere allaborant Veteres: quoniam autem tota illa res ſatis precaria infirmo ſtat talo, & Lunæ ne quidem Eclipſium Totalium inſignis operatio hactenus obſerva-

observata est, potius contrarium experientia firmat, & illud Fabulam sapit: suis igitur hæc relinquimus Authoribus, cum erudite & solide jam sint refutata ab Excellentissimo *Sturmio in Dissert. de Syderum Influentia*, aliisque hujus seculi Aletophilis. Pergimus ad reliquas causâs, è quibus Cibus erit, nimirum crassus, viscidus, frigidus, quales sunt pisces, Ostreæ, pleraque aquatilia; è plantarum censu Olera, Fructus horæi & Legumina; reliquorum Animalium partes hujus farinæ, ut intestina, viscera, tendinosa caro &c. Hæc chylum præbent crudiorem, ex quo talis Sanguis. Potus Vinum Generosum, Spiritus Vinialiaque potulenta fortiora, quæ turbas sanguini movent; inebriativa enim & narcotica sua vi Spiritibus haud patrocinantur, quod ex sensus, motus, locutionis, memoriæ & rationis privatione; sive stupore corporis & mentis illorum, hisce abutentium, colligi potest. Aqua nimium frigida & glacie refrigerata, liquida alia, potissimum si immodice talibus utimur. Atrum adjicere calculum possunt excessus in somno & Vigiliis crebriores, qui cruditates cumulant. Narcotica, quæ in manus imperiti merito audiunt gladius in potestate furiosi, spirituum motum sistunt. Saturni Saccharum, Mercurius & Mercurialia, inunctio ejusdem, aliaque Medicamina infeliciter adhibita, sanguinem crassum nervis impellunt. Nimium otium aut motus vehementior, diuturnior. Venus frequentior, sanguinis jactura major, fluiditatem, volatilium privatione, sanguini subtrahendo peccant: aut è contra suppressio consuetæ evacuationis ex. gr. Mensium, Hæmorrhoidum, Lochiorum, humores excretioni destinatos retinendo, nocet. Animi graviores motus, Ira enim cum impetu fluidas corporis partes in vasa protrudit; Tristitia, Metus, &c. lento sanguinis circuitu crassiores particulas generando & augendo pertinaces alunt obstructiones, si præsertim frequentia & enormitas accedit. Conformationem solidarum destruunt, Vulnera telo & globulis tormentorum, aliisque instrumentis, Cerebro vel ner-

vis inflicta,hos discindunt, aut lacerant. Fracturæ ossium Cranii, Vertebrarum, vel Artuum, ut etiam depressiones ex ictu, casu &c. nervosum genus comprimunt. Contusiones violentæ, præterquam quod tenerrimis fibrillis nerveis vim faciunt, vascula quoque sanguiflua rumpunt. Notatu est dignum, ut plura hinc inde leguntur exempla, non latus percussum, sed oppositum quandoque paralyticum fieri: quod eam ob causam accidere nobis persuademus; quoniam vasa Cerebri anastomosi communicant, Sanguis è concusso latere in contrarium impetu propellitur, & quia in cerebro tenuiores canaliculi isti existunt, facile extravasatio, hancque excipiens compressio ibidem oritur. Luxationes majores Spondylorum medullam spinalem in totum comprimunt; minores verò tantum angustiorem reddunt: luxari autem per totum eorundem tractum i. e. à Capite ad Os Sacrum possunt, neque hoc & reliqua ab istiusmodi externa vi tuta erunt. Hæc singula Spirituum ad organa transitum inhibent.

IX. CAUSÆ INTERNÆ REMOTÆ plures numerantur, prima est Sanguis serosus, viscidus & sale peregrino impraegnatus, qui particulis suis crassioribus, aut majoribus globulis, vel à figura Sphærica multum abludentibus, angulosis & irregulari superficie asperis, obstruit in totum aut ex parte arteriolas superius descriptas, sive glandulas Corticis & Medullæ, sive ipsa denique filamenta nervea, forte non raro hæc omnia. Non multum à Vero nostra opinione aberrabimus, si polyposam concretionem, qualis sæpissime in corde & vasis vario morbo defunctorum, à prosectoribus detegitur, etiam causis nostri affectus annumeramus. Non enim coagulatum post obitum demum sanguinem esse, ex eo apparet, quod Substantia polyposa congeries superpositarum extensarumque pellicularum observetur, quæ diductæ, sua Elasticitate in se redeunt; laceratæ vero, in oblonga & solida filamenta abeunt: aqua porro calida omnem adhærentem sanguinem eluit, illasque albicantes relinquit,

linquit, quod aliquoties ipſimet facto periculo, obſervavimus: hæc autem Cruori nequaquam competunt. Generatur hic inteſtinus hoſtis à ſanguine fibroſo, acido quodam coagulato, qui fluorem & compagem, deficiente partim motu inteſtino partim progreſſivo, amiſit, unde facile quædam particulæ conjunguntur, quibus pedetentim aliæ adhærent, originem ſuam petentes utplurimum ex ipſo corde, quod nimirum craſſo humore nimis dilatatum, aut ex debiliori ſpirituum fluxu, ſolito impotentius, non omnem quem recepit, rurſus excutit liquorem; hinc columnulis & papillis prædicta corpuſcula agglutinantur: progreſſu poſtmodum temporis, ſumpto incremento, ex ipſius ventriculis auriculiſque prorepunt; modo unam modo plures occupant arterias, ſurſum deorſumque Polypi tendentes, vel ad vaſorum per foramina Capitis ingreſſum, viam Sanguini anguſtiorem reddunt; aut ulterius aſcendentes etiam capillaria arteriæ occupant, & ſic liquoris vitalis fluxum morantur: debilem proinde pulſum, alluentem inſuper impurum & parciorem ſanguinem, Spiritum quoque rariorem, minuſque defæcatum, aut nullum generare, non eſt dubitandi ratio. Eadem corpora quandoque etiam ſinus & venas occupant, & ſanguini refluxum prohibent. Si conjecturæ adhuc locus eſſet, non adeo forſan impoſſibile erit, polypos præſertim fracidos, quales ſubinde obſervantur, à concitatiori quacunque demum ex cauſa, ſanguinis motu rumpi, hujuſque pulſu, diviſas portiones arteriolis intrudi poſſe; unde ſat notabiles oriuntur obſtructiones. Quæ tamen cum longe exactius tractentur ab Excellentiſſimo *D. D. Scheidio in Diſſertat. de Polypo Cordis*; *Malpighio* in Tractatu de eadem materia, & *Wepfero de Apoplexia*. B. L. eo remittimus. Sanguis porro copia vel impetu perrumpere arterias, & ſerum lymphatica, in cerebro valent: hinc inundatio & canaliculorum nerveorum compreſſio: acrimonia quoque valde acutarum ſpicularum tunicas vaſorum erodere, eundemque effectum producere poſſunt: humor autem ſic extravaſatus inter

Cranium

Cranium & Meninges ſtagnat; vel inter craſſiorem & tenuiorem Membranam cumulatur, vel ipſius Cerebri & ventriculorum Subſtantiam humectat; aut involucrorum Medullæ Spinalis interſtitia occupat; aut denique ipſam immediate alluit. Tumor & calculus tandem tubulos conſtipando agunt. Tumorem quod attinet, notabile hujus in Cerebro nati exemplum *Felix Platerus in Obſervationibus* tradit, dum hominis mentionem facit, qui, poſt Cephalalgiam diuturnam, oculorum luce orbatus, tumorem glandulæ ſive ſtrumæ ſimilem in ventriculorum anteriori parte geſtabat; propria hic membrana cinctus, duriorem materiam continebat: pondere ſuo quatuordecim drachmarum opticis nervis incumbens, hos ita compreſſit, ut omnem oculorum uſum ſuſtulerit; dum interim nec nervi neque oculi ullam labem oſtendebant. Quis jam in dubium vocare audebit? in aliis Cerebri partibus ejuſdem generis Schirroſos tumores aliquando exoriri; aut obſtructas glandulas in Spinalis etiam Medullæ ſuprema, media, vel inferiori parte comprimere canaliculos nerveos poſſe. Tactus denique fidem facit, glandularum & vaſorum tumores quandoque in partibus noſtri corporis præſertim Scorbuticorum, preſſione nervorum, muſculos ſpirituum influxu privare. Calculum quod concernit, numeroſas equidem obſervationes hujus in cerebro inventi ſcriptis ſuis annotarunt Authores; quoniam autem partim rudiori minerva, omiſſis potioribus circumſtantiis, rem deſcripſerunt, partim nonniſi viſum, inventorum judicem adhibuerunt; lapillos unquam in Cerebro natos, haud abſque ratione in dubium trahit, aut rariſſimis imo tantum non monſtroſis añumerandum cenſet, nunquam ſatis laudandus Celeberrimus *D. D. Scheidius*, Præceptor noſter fideliſſimus, *in Quæſtionibus Phyſico Medicis de duobus Oſſiculis in Cerebro Apoplexia extinctæ repertis.* Licet ſolidiora in brutorum Cerebris aliquando inventa, calculi veſicæ urinariæ & biliferæ familiares, aut pulmonibus, aliiſque partibus non penitus inſoliti, denique ventriculi Capræ Perſicæ hoſpites,

proba-

probationis aliquam ſpeciem præ ſe ferant, lubricum tamen ab uno ad aliud argumentum eſſe, exponit. Oſſium potius è familia, duriora iſta Cerebro ejuſdemque membranis ut plurimum innata, eſſe, ſequenti experimento convincit: Oſſicula enim, cultelli acie raſa, fibrillas reliquorum oſſium ſimillimas oſtendunt: has enim oſſium compagem efformare, præter inermis oculi, aut Microſcopio armati teſtimonium, (obſervante Leeuvvenh. p. 200. plura nimirum tubulorum alia aliis majora genera os complectitur) eaſdem etiam ductilitas eorundem inſinuat; propter has fibras in ſchidia & non infruſta ut lapides friabiles diſſiliunt: ramenta inſuper prunis injecta, fumum fœtore ſociatum, oſſibus tantum combuſtis, lapillis vero nequaquam familiarem, emittunt.

X. PROXIMA CAUSA eſt denegatus ſpirituum influxus, & quidem in Nervos Capiti ſubjectis partibus proſpicientes (Muſculis puta artuum, ventris medii & infimi, qui à Medulla Spinali potiſſimum derivantur, licet Par Intercoſtale per totum deſcenſum cum nervis ſpinalibus communicans etiam patiatur, tamen aliquo adhuc modo inteſtina & viſcera hoc irrigata officium præſtare poſſunt) Paraplegiam infert; in alterutrum tantum latus abeuntes Hemiplegiam; in ſpeciales corporis partes ſe inſinuantes, particulariorem generat paralyſin; qualis eſt Palpebrarum, Oculorum, Faciei, Linguæ, Gulæ, Capitis, Cervicis, Brachii, Pedis, Digitorum, Spincteris Veſicæ, Ani &c. A totali ſpirituum influxu prohibito, Perfecta dependet: Imperfecta verò à diminuto eorundem incurſu; eoque plus motus & ſenſus reſtabit, quo minus idem erit impeditus; major autem remora injecta, omnem aufert motum, manente ſolo ſenſu: hic enim ſenſibilis tantum objecti quædam impreſſio eſt, quæ ſine ſpirituum niſu aut elatere ſingulari ab organo externo ad ſenſorium uſque commune continuatur atque propagatur: cum ad motum contra eorundem vegeta magis expanſio à principio nervorum ad illorum uſque extremitates exigatur, adeoque ſpiritus pauciores ac torpidiores ad ſenſum ſufficiant, imo ab objectis externis con-

citentur. *Bohn. in Circ. Phys. Anat. p. 325.* Alia fere est conditio nervorum, qui in Organa reliquorum sensuum excurrunt: hi enim minorem quoque læsionem sine notabili sensus vitio haud ferunt; molliores enim sunt, & tantum duo Naribus destinati cernuntur, qui in tenui & papillosa carne terminantur: totidem observantur Optici, qui in Retinam, Uveam & Corneam expanduntur: gemelli Auditorii in Labyrintho terminum attingentes, in tenuissimam membranam extenduntur: quatuor autem Gustatorii numerantur, duo quintæ & nonæ conjugationis, qui in papillas Linguæ à Malpighio detectas potissimum Sphæricas abeunt: ad cutem è contra plurimi ramuli nervorum tendunt, copiosissimis papillis in hac luxuriantes, unde non tam facile Tactus undiquaque perit. Si igitur supra expositi nervi vitium contrahunt, Olfactus & Gustus hebetudo, Visus debilitas & Auditus difficultas sequitur: si vero penitus spirituum irradiatio cessat, hi sensus penitus abolentur, unde nullus Gustatus, neque Odoratus, Cæcitas & Surditas. Rara est avis, Tactum tantum aboleri, motu superstite; cujus tamen exempla nobis suppeditant *Cornelij Stalparti van der Wiel Observationes Rariores T. 2. p. 433. Mulieris enim partium externarum superficiem marmor frigore non vincebat, utut membra satis moverentur. Rigida passim & instar pellis, qualis tympana sonora reddit, dura, nihil fere sensus reliquum habebat:* & paulo inferius. *Sed nec immemor sum cujusdam Viri, qui graviori affectus Scorbuto, ex India Asiatica huc percurandus venerat; cutis sensu usq; adeo erat obtuso, ut vel prunis usta nullum sentiret dolorem, huic autem subjectis partibus pungentia, acrioraq; satis afferebant doloris. Fernelius Pathol l. 5. c. 3.* refert ex Vinolentia cujusdam corpus undique stupuisse, motu tamen illæso: causam eleganter explicat *Bohn in L. c. Si tactus perit in cute, vegeta satis adhuc facultate musculorum ipsi subjacentium, causa in organo tactus scil. nerveis papillis, per illam dispersis hæret. Stupore ejusmodi affecti observantur Leprosi, Elephantiaci, & Maniaci nonnunquam, quibus vel à causa morbifica, vel ab injuriis frigoris diutius latis, cutis induratur, ejusq; corpora papillaria ad stuporem usq; rigescunt.*

Glan-

Glandulæ enim cutis miliares irrigant papillas, ne aridæ aut callosæ reddantur: hinc in locis ubi exquisitus est tactus, copiosæ etiam notantur glandulæ; quod si hæ obstruantur, papillæ exsiccatæ stuporem producunt. Paralysis post Apoplexiam, provenit vel à Metastasi humoris extravasati ad Medullam Spinalem; vel potius quia hic morbus omnimoda sensus & motus privatio est, ab universali obstructione aut compressione dependens: si igitur beneficio naturæ & medicamentorum quædam sive potiores viæ rursus aperiuntur, reliquis manentibus occlusis, necessario paralysis sequitur. Morbus Lethargo superveniens facile explicatur, dum nimirum in hoc à crassiori sanguine pori multum jam sunt obstructi, quid miramur, si magis aut penitus infarciuntur. Ex Epilepsia, Convulsionibus, Arthridite, Colica, Scorbuto, Lue Venerea, haud difficulter deducitur; hi etenim affectus dependent à vitiosis, præsertim acribus, acidisque humoribus; Cerebrum & Nervi certe ab his immunes non erunt, dum sanguis qui totum peragrat corpus, etiam has alluit partes, ibidemque obstructiones parit. Catarrhus nihil aliud est, quam serum in glandulis & vasis, propter destructam fluiditatem, stagnans, & Icterus itidem sero coagulato peccat, propterea hi quoque affectus ansam Paralysi præbere possunt. Abscessus tandem vel copia puris vel acrimonia nocet.

XI. Proximum jam erit, ut illa etiam adjungamus, sine quibus cognitio morborum perfecta esse non potest. Tum ad ipsorum enim morborum dignotionem, causarum & loci affecti notitiam, tum ad ipsam curandi rationem, per multum est scire SIGNA DIAGNOSTIGA. Affectus igitur propositi species nobis significant motus & quandoque etiam sensus privatio, inordinatus & debilis pulsus, cum membrorum frigore, pallore, laxitate, atrophia sive extenuatione, urina alba, tenui & pauca: hæc si occurrunt signa in partibus infra caput ad extremum pedis, cum non raro afflicta respiratione, Paraplegiam indigitant. Si jam memorata Signa in alterutro latere notantur, cum aliquando oculi partis affectæ diminuti-

one, visus hebetudine, auditus difficultate, oris nasique tortura, linguæ etiam imbecillitate, Hemiplegiam dextri vel sinistri lateris demonstrant. Motus aut etiam sensus deficiens, cum frigore, pallore, laxitate, tabe, in parte tantum aliqua Corporis Humani ex. gr. brachii, pedisve musculis, pulsu insuper minori, inæquali, particulariorem insinuant Paralysin; & quidem si integra pars laborat, absque spasmo, hoc vero conjuncto, si antagonistæ solum aut magis afficiuntur. Non autem infrequens esse solet, hæc recensita Signa simul cuncta, atque in extremo gradu non semper adesse; in uno enim corpore cumulata Perfectam nobis delineant Paralysin; sed nunc motum magis, nunc sensum potius desiderari, quæ Imperfectam adumbrant; non raro utrumque aut alterutrum diminutum saltem restitare, quæ Stuporem nobis ostendunt: hoc adhuc observandum superest, si sensus tantum aufertur, membra non, sicut motu destituta, contabescere, sed succulenta permanere, soliditatem musculos & pulsum actionem suam retinere, ob ingressum spirituum animalium haud interruptum; cutim vero algere & quandoque duram rigere. Signa Causæ desumuntur & quidem Externæ, ab ægrotantis adstantiumque relatione, ab errore enim in usu sex rerum non Naturalium commisso, aut alio accidenti dependet. Si vis quædam externa præcesserit, signa vulneris, fracturæ, luxationis &c. visui & tactui se offerunt. Internam & remotam, Sanguinem nimirum serosum sive serum viscidicate & copia aut utraque peccare, patefaciunt Habitus corporis pinguis, Dispositio hæreditaria, ætas senilis, sexus debilior, aër humidus & frigidus, cibus & potus refrigerans & humectans, otiosa vita, evacuatio immoderata aut etiam suppressa, tristitia, curæ, dolor capitis gravativus, muci & salivæ copia, superficies corporis pallida & frigida, pulsus parvus & debilis, urina aquea, molestia ex frigidis & humidis, prægressus aut adhuc præsens Catarrhus, Hydrops, Icterus. Sanguinem copia & impetu nocere, oculis sistunt habitus corporis plethoricus, venæ tumentes, æstivum tempus, cibus & potus laudabilis & largus, etiam calidior, suppressio solitæ excretionis

tionis mensium, hæmorrhoidum, quies aut motus nimius, facies rubicunda, pulsus plenus, levamen ex missione sanguinis, anteambulo apoplexia. Acrimoniam humorum notamus ex usu aëris marini sive acrioribus referti vaporibus, cibi salsi & potus minus blandi, vini videlicet austeri & acidi, ut & talis cerevisiæ, ex siti, salivæ, sudoris & urinæ acrimonia, ex morbo præcurrente aut adhuc concomitante, convulsionibus, arthridite, scorbuto, colica, lue venerea. Paralysis ex Scorbuto, Colica, aliquando inconstans modo hanc modo aliam infestat partem, remittit, redit, doloremque conjunctum habet. Polypus equidem nonnisi obscure, atque minus certe cognoscitur ex pulsu debili, inæquali, tardo, parvo, tremulo & intermittente, adjunctis cordis angustia, tremore, palpitatione ac difficili respiratione nonnunquam. Tumorem facilius in partibus corporis tactui expositis, ægrius in Cerebro ejusque appendice, & non nisi probabiliter ex dolore fixo ac gravativo, ut etiam ossicula, quandoque tamen plane indolentia nullo modo augurari possumus. Partis affectæ signa hæc fere proponuntur : si omnes sub capite partes resolutæ sunt, & ipsum caput ab omni labe non immune, Cerebrum ; sin caput à resolutione liberum, Medullam Spinalem laborare divinamus : si alterutrum latus ægrotat cum parte capitis, Hemisphærium Cerebri ; Capite vero sano, partem Spinalis Medullæ pati, manifestum erit. Si dimidius corporis truncus inferior nimirum affectus, Dorsalis Funis portionem labefactatam novimus. Si quoddam tantum membrum sive Organum debilitatum, in nervo isti prospiciente, & dum cutis torpet, in papillis ejusdem vitium quærendum esse remur.

XII. Properamus nunc ad SIGNA PROGNOSTICA, quæ, si rem, bene nimirum ex his judicans, acu tangit Medicus, in cœlum fere extollunt ; si vero enormiter aberrat, ad inferos magna cum ignominia deprimunt. Cautione igitur opus est, ne ineptis & immaturis vaticiniis ægrotanti noceamus, famamque risui exponamus : & hoc potissimum in acutis Antesignanus noster observatione dignum serio incul-

cat; in hoc tamen Morbo paulo cordatiores esse prædicendo licebit. Imminentem affectum prævidemus aliquando ex stupore crebriori, cum sensu formicarum repentium in corpore, vertigine, lassitudine, tanquam prodromis; licet sæpius inadvertentibus ingruat. Cæterum affectum hunc pronunciamus Chronicum h.e. diuturnum, qui per plures, quinque, decem, viginti & ultra, annos protrahitur. Porro & quidem vix ullo contradicente est malum curatu utplurimum difficile, sæpius enim illud valet, Non est in Medico, ut æger semper relevetur, interdum enim contumax malum, plus valet docta Arte: angusta nimirum vasa & molles glandulæ arctissimique pori cum filamentis tenerrimis, medicamentorum etiam nobilium efficaciam crebrius eludunt, & hæc istis damnosa potius quam proficua existunt. In specie vero Paraplegia reliquis pertinacior, ad vitæ usque terminum, nunc citius nunc tardius obvenientem, utplurimum ægrotantes comitatur; pejorem adhuc volunt, si excrementa fæces nirum & urina sponte elabuntur. A priori parum fere differt Hemiplegia, inprimis si motus sensusque insigniter læsus est, cum frigore, tabe, laxitate, debili pulsu: quiescente enim per necessitatem corpore, sanguis tarde & debiliter circumagitur, nulla fit debita alimentorum concoctio, nulla excrementorum sequestratio & exclusio legitima, unde obstructiones augentur. Curationis spes major affulget, si partes pauciores minusque nobiles, aut quædam tantum & quidem leviter, aut sensus solus affligitur; prædicta potissimum si exulant mala omina: Gulæ tamen resolutio etiam sola, satis periculi minatur, quoniam alimentis viam præcludit. Principiis si obstamus, de recentis cura non est desperandum, sero autem Medicina paratur, si mala per longas moras invaluerunt: obstructiones enim inveteratas reserare summæ difficultatis res est. Facilius quoque restituimus æstate & juniores, ægrius hyeme, imo vix senes: si malum in juniores, qui nondum corporis perfectionem attigerunt, sed adhuc crescunt, cadit; membra paralytica minora & debilia manent, dum sana reliqua duplo fere robore & magnitudine augentur:

tur: ab organis enim chyli & ſanguificationis pro integro corpore nutrimentum præparatur, quod, quia in ægrotantium membrorum com̃odum verti non poteſt, ſanis applicatur. Ex Caro, Lethargo, Apoplexia &c. gravior eſt affectus, ex Scorbuto aliquando vagus & inconſtans, & ex Colica levior ſanatu. Supervenientem Febrem & Tremorem ſalutant Medici, & eo magis ægrotantes, ſi auxilium ferunt. A Cauſa externa inevitabili, continuo afficiente, de reſtitutione haud cogitandum: ab ictu, caſu graviori, luxatione vertebrarum notabili, nervorum inſigni vulnere aut læſione, tumore ſchirroſo, incurabilem pronunciamus morbum: à cauſa interna vehementiori obſtructione, compreſſione ab extravaſatis, in corpore Cacochymico, valde Scorbutico, intemperante ægro conclamatum eſt: quamvis rudimenta polypoſæ concretionis ab ipſius ſanguinis meliori diſpoſitione, vel à medicamentis mature adhibitis diſſipari rurſus queant; annoſum tamen majuſque tale productum, omnem ſpernit auxiliorum efficaciam: idem quoque prognoſticum de oſſiculis valet, quorum materia nondum indurata, facile iiſdem forte ſubſidiis fugari poteſt, ſoliditate vero jam adepta, nulli certe remedio locum concedit. Hoc adhuc annectere poſſumus, quod raro in alios hic degeneret morbos, crebrius vero ab aliis provenire ſolet, ut ab Apoplexia, Lethargo, Epilepſia, Convulſionibus, Catarrhis, Colica, Arthridite, Scorbuto, Lue Venerea, Inflammatione, Abſceſſu, Vulnere, Contuſione, Hydrope, Menſium, Lochiorum, & Hæmorrhoidum ſuppreſſione, etiam Dyſenterico fluxu præpoſtere inhibito, Suffocatione uteri, Ulcere antiquo infeliciter curato, Ictero, Morſu animalium venenatorum &c. Sæpius tandem ultima linea rerum Mors, Maraſmo, Sudore Colliquativo, Apoplexia &c. Tragœdiæ finem imponit.

XIII. Quamvis neminem lateat, contra mortis vim non præparari Medicamen, & ideo omnibus & ſingulis calcandam eſſe viam Lethi; quilibet tamen id momenti quod reſtat vitæ, ſanum tranſigere exoptat, Summo propterea ſtudio (quod officium noſtrum eſſe credimus) eò laboramus, ut

apto

apto & convenienti remedio, ægrotanti vel priſtinam ſanitatem ex toto, aut ſi pertinax malum vetat, ſaltem ex parte reſtituendo; vel ne univerſum ſubjuget corpus, juſtoque citius interimat affectus, impediendo, opem feramus. Partem igitur noſtri muneris abſolvimus, ſi hunc morbum metuenti, aut jam afflicto DIÆTAM ſeu Regimen ſex rerum non Naturalium ſerio commendamus; quantum enim exacta hujus obſervatio referat, ex eo patet, quod optima Medicamenta, iſta neglecta, incaſſum adhibeantur. Quærant ideo ſibi aërem temperatum, purum; frigidum tegumentis & veſtimentis arceant, humidum vitent, aut ſuffimentis, ſuccino, thure &c. igneque luculento juniperino ligno corrigant; à Ventis Auſtrinis etiam Borealibus corpus muniant. Cibus ſit boni ſucci, facilis digeſtionis, ut panis laudabilis, bene fermentatus & coctus, caro vitulina, hædina, vervecina aſſa potius quam elixa, ferina juniorum &c. Volatilium, columbæ, gallinæ junioris, avicularum ſylveſtrium; piſcium tamen parcior & rarior uſus ex. gr. Truttarum, Luciorum, imo Gamarrorum &c. Ex plantarum numero endivia, lactuca cocta, cichoreum, apium, etiam dulce, braſſica prolifera florida, aſparagi, lupulus, ſpinachia, mala aurantia &c. aromata & aromatica, ſinapi, in condimentis moderate conveniunt. Parum emolumenti, plus vero damni ſentient ex cibo craſſo, viſcido, frigido, ut carnibus ſalitis, fumo induratis, pane biſcocto, halecibus ſale conditis, fumatis, aſellis, oſtreis aut conchis &c. caſeo, oxygala, acetariis copioſo aceto præparatis, fructibus horæis, caſtaneis, fungis, rapis, cucumeribus, melonibus, oleribus crudioribus, leguminibus, bellariis, ſaccharatis, mellitis &c. quorum ſi catalogum hic recenſere animus eſſet, pagellæ in Tractatum excreſcerent: hæc tantum exempli loca poſita ſunt, ſagaciores reliqua facile ex his dijudicabunt. Potum ſibi eligant blande calefacientem, aperientem, ex. gr. Vinum mediæ ætatis & virium, ſalviatum in hoc affectu egregium, aut vere vel ineunte æſtate convenientibus herbis medicatum, cereviſiam bonæ notæ, aromatiſatam, roremarino &c. conditam; neque excludendum ſimplex, tamen optimum

mum nutrimentum aqua limpida, levis, pura, dummodo ut in reliquis frigus inimicum illud cerebro & nervis absit: hinc non possumus non detestari potum glacie, nive, aqua gelida refrigeratum: quam egregie enim ille operetur præsertim in non assuetis, quotidiana loquitur experientia. Qui sorbillando potius, quam plena hauriendo gula, bibere amant, potum Thee atque Caffe sibi commendatum habeant. Proscribimus quoque Vinum nimis generosum, spiritum vini, vinum acidum, austerum, cerevisiam talis notæ, omniumque esculentorum & potulentorum immoderatum & illegitimum usum. Sequitur jam Somnus, quem nocturnum & moderatum volumus, ne cerebrum gravetur; vigiliæ suam quoque observent legem. Corpus, quantum quidem potest, exerceatur, & præstat motu excedere, quam nimio otio situm contrahere. Transpiratio sit non interrupta; sudor moderatus prodest; urina liquidis ingestis debita quantitate respondeat; alvus conservetur lubrica; mulieres mensium habeant rationem: robustioribus adhuc & junioribus in leviori affectus specie Venus licita est; aliquando enim hanc Medicinam fuisse confirmat *Boyle de Util. Philos. experim. p. 145. Puellæ octodecim annorum, quæ in partibus corporis sui externis omni tactus sensu adeo destituebatur, ut citra vel minimam commotionem, nudæ cervici ejus sudariolum aciculis affigere valuerit, ipsa vero neutiquam spiculis observatis, quin & eorum ignara sursum ac deorsum collum commoverit. Harvejo tandem suspicionem injecit, admirandum hunc morbum Uterinum ac proin exercitiis hymenæis sanabilem esse, quare parentibus ejus (qui eam non ob egestatem ad Nosocomium ablegarunt) ut filiæ domum accersitæ de thori socio prospicerent, eventu sane prognosticum exæquante, author fuerit, sicq; misellam, à malo hoc stupendo liberaverit.* Animi Pathematibus, quousque imbecillitas humana permittit, assuescant gaudio, lætitiis; repugnent Iræ, Tristitiæ, Metui, Terrori; fugiant Curas, Sollicitudines, Meditationes profundiores & continuas: licet Observationes mentionem faciant quorundam, vehementiori Ira, Metu curatorum, *Johan. Schenck. Observat. Medic. Rar.* p. 94. Quis autem usque adeo audax & temerarius ancipitem curam subeat?

 qua

qua plures gravissimis morbis, ipsaque morte correptos experientia testatur. Cum autem mens humana infinitarum rerum non sit capax, diffusas hasce regulas, tritis versiculis memoriæ gratia includamus.

Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines,
Quos ultra citraq; nequit consistere rectum.

XIV. Alteri jam Officii parti satisfaciemus CURA, auxiliis Chirurgicis & Pharmaceuticis. Agmen merito ducit Generale illud Plebi maxime probatum Venæsectio, quam in affectu ex ictu, casu, modicam; in Plethoricis, mensium & hæmorrhoidum suppressione, largiorem laudamus: apud timidiusculos & Venæsectionem abhorrentes Cucurbitulæ cum scarificatione substitui possunt: in aliis tamen casibus, sanguine minus abundante, caute abstinendum ab hisce arbitramur. Vesicatoria, Cervici & post aures applicata, serum abundans evacuando; & Fonticuli, non in parte affecta sed sana, brachio nimirum vel cruri inusti, aliquid præstare possunt. Quoniam autem sæpius non solum Cerebrum, sed universum corpus noxiis turget humoribus, hisce vero non exturbatis, frustraneo conatu, simulque tristi non raro eventu, dum vitiosam istam materiam ad cerebrum nervosumque genus adigimus, optima etiam alias medicamina applicamus. Quo igitur secundum Methodum procedamus, propinentur prius proprie sic dicta Purgantia, & quidem ubi conveniunt Emetica ex. gr. radix Asari, Gumi gutta, Mercurius vitæ, Tartarus emeticus, crocus Metallorum & antimonialia reliqua. Ubi hæc minus apta sunt, purgantia per alvum mitiora sive Lenientia frequentius usurpentur ex. gr. Manna, Pulpa Cassiæ, cum Cremore aut crystallis Tartari &c. & quoniam chronicus est affectus non inepte sacculos aut nodulos purgantes, aperientibus temperatos, commendamus. Jam si hæc mitiora nihil proficiunt, fortiora in usum vocanda; nam humor viscidus ac turgens talia fere requirere videtur, ex. gr. Sennam, Aloën, Rhabarbarum, Jalapam & Jalapina: quæ si opus, acuantur Helleboro nigro, Colocynthide, Scamonio & Diagrydio &c. Quoniam Casus quandoque obveniunt, quibus his minus commo-

commode uti licet, non ſine fructu tum applicamus Clyſteres emollientes, abſtergentes, ſtimulantes, adjunctis ſuppoſitoriis. Cuncta tamen hæc pro artis legibus, quas hic recenſere non vacat, mutari, intendi & remitti poſſunt ac debent. Liberato ſic corpore maxima ex parte à ſuperfluis & moleſtis oneribus, cum ſpe majoris ſucceſſus adhibentur Caput purgantia, & quidem Naſo Errhina, ex ſequentibus, ut etiam Ptarmica, parata; Rad. Helleb. albi, Acori, Pyrethri, Irid Flor; Herb. Major. Salvia, Puleg. Nicotianæ, Hyſſopi, Fol. Lauri; Floribus Lil. convall. Lavend. Seminibus Nigell. Naſturt. Sinapi; Cubeb. &c. & ex his compoſitis aut præparatis pulveribus, aquis. Apophlegmatiſmus glandulas ſalivales & membranam pituitariam, copioſo & ſæpius viſcido humore emungens, ex ſola Maſtiche vel jam deſcriptis Caputpurgiis concinnari poteſt. Porro Medicationi inſiſtimus, aut omiſſis etiam prioribus & reliquis, ſtatim properamus ad Sudorifera, ubi nimirum corpus vitioſis fluidis copioſiſque minus turgidum offendimus: facile enim plura alia ſuperant, multis nimirum magniſque comodis, quæ non ſolum in hoc, ſed aliis etiam affectibus, Corpori humano inferunt: maſſam enim ſanguineam fere coagulatam diſſolvunt, tardius motam fluidiorem reddunt, obſtructiones per minimos ſe inſinuando poros reſerant, minus congrua quæ inveniunt, inſigni totius emolumento, per Univerſi cutis ſpiracula ad auras ablegant: in horum vero cenſum ſequentia veniunt, Rad. Angelicæ, Gentianæ, Carlinæ, Zedoariæ, Chinæ, Sarſaparillæ, Helenii; Herb. Carduus Bened, Scabioſa, Fumar; Flor. Anthos, Croci; Fructus Juniperi, Sambuci: Ligna Guajacum, Saſſafras; Camphora, Myrrha; CC. Unicornu, Bezoar, Caſtoreum, Oculi cancri; Bolus Arm. Corallium, Succinum, & ex his aliiſque fere innumeris, præparata, Aquæ Simplices & Compoſitæ, Spiritus, Syrupi, Conſervæ, Extracta, Salia Volatilia & fixa, olea, & decompoſita infinita fere, junctis Theriaca Andromachi & Mithridatio Damocratis. Affinia prioribus Diuretica, longe inferiori loco haud ponenda ſunt: quandoque enim ita conſtituti homines occurrunt, in quibus

ægre ſudor movetur; ubi hæc non incongrue ſubſtituuntur: ex horum familia ſunt Radices quinque Aperientes majores & minores; Hedera Terreſtris; Baccæ Alkekengi, Amygdalæ amaræ; Terebinthina; Aqua Fragorum, Alkekengi; Spiritus Tereb. Nitri, Salis, Vini, Tartari; Oleum Juniperi, Amygd; Pulvis Concharum & Teſtarum; Sal Commune, Gemmæ, Ononidis, Tartari, Stipitum Fabarum, Nitri Fixum; Arcanum Duplicatum, Tartarus Vitriolatus, Terra foliata Tartari &c. Dubitant, an his vel illis aut utriſq; añumerandæ ſint Acidulæ, inſigni certe efficacia multis haud poſthabendæ: præter enim quotidianam Experientiam, ſummis celebrantur laudibus à non infimæ ſortis Medicis, *Joh. Dan. Horſtio*; *Melch. Sebizio*; *Joh. Theodoro Tabernæmontano*; *Rein. Solenandro* &c. Ad miraculum enim uſque crebrius operantur. Hinc, niſi pulmonum vitium aliudque notabile obſtaculum impediat, & tales adhuc vires ſuperſint, quæ corpus movere valeant, hoc quoque auxilii genus in ſuccum ſanguinemque fundant ægrotantes.

XV. Non autem ejuſdem generis armis Medici eundem & rebellem impugnare ſolent hoſtem; ſed teli mucrone hebetato aut fracto, arripiunt enſem, vel utriſque dimicant. In remediorum ſerie, quibus Paralyſin excutere conamur, nunc ſe offerunt SPECIFICA Cephalica & Nervina; non quidem talia, qualia prima forte videntur fronte, ac ſi huic vel iſti tantum parti convenirent, inque Artificis poteſtate eſſet, ad determinatam partem ex. gr. Caput, Nervum, hæc ablegare: ſed quæ ſanguini ejuſmodi characterem imprimunt, ut Cerebrum Nervoſque alluens, peculiarem præſtet uſum, quem tali modo non alteratus, nunquam attuliſſet. Sunt autem pleraque Volatilia Sulphurea & balſamica ſpirituoſa, aromatica, non excluſis volatilibus urinoſis; *fixis enim & acetoſis humoribus unice contrariantur urinoſa, Paralyſeos hinc ſpecifica.* Celeberrimus *Georg. Wolfg. Wedel in Amœn. M. M.* p. 123. Cæterum Sanguinem & ſerum tarde motum & fere ſtagnantem excitant, hinc ſimul ſpiritus protrudunt torpidos; poros Cerebri humores incidendo aperiunt; ſerumque

ſuper-

ſuperfluum è corpore eliminant; quædam una temperant acrimoniam. Generoſa autem talia ſunt. Rad. Calamus Arom. Galanga; Zedoaria, Iris Flor. Heıbæ. Salvia, Betonica, Majorana, Roſmarinus, Chamædris, Chamæpytis, Ruta, Serpillum, Lavendula, Pulegium, Meliſſa; Flores. Croci, Anthos, Lil. Conv. Spicæ, Roſarum, Tiliæ; Cortex Citri, Arant. Semina. quatuor calida majora, Coriandrum; Aromata & Aromatica, & ex his compoſita; additis ex ſuccino, Caſtoreo, Cornu Cervino, Viperis, Sale amm. præparatis. Non prætereunda eſt Aqua Cephalica, cujus, ut plurium aliorum Proceſſuum, in Collegio Chemico anni præterlapſi, copiam nobis fecit, laudibus extollenda Benevolentia, Viri Ampliſſimi & Experientiſſimi Domini JOHANNIS BOECLERI Med. Doctoris & P.P. Celeberrimi, Fautoris mei ſumme colendi. Tandem *Speciatim Cinnabaris nativa & antimonij, quicquid nonnulli in contrarium objiciant, qui pro veneno eam reputant, eſt Specificum Cephalicum, ſed magis Univerſale, quam ullum aliud, quatenus reſpectu ſuorum elementorum liquores vitales egregie corrigit. Wedelius. Am. M. M. p.* 128. Idem Pharmacum palmis onerat *Dan. Ludovicus in Pharm. p.* 188.

XVI. Quoniam autem vis unita fortior eſſe ſolet, ſupra expoſitis Internis aſſociemus etiam EXTERNA ſive TOPICA, quæ ad Sanitatis recuperationem hac Methodo, quandoque haud parum conferre poſſunt. Primo oculis ſe ſiſtit Frictio Membrorum pannis aut linteis calidis; hac enim partes calore foventur, pori reſerantur, ſanguis propellitur, & ſpiritus ad majorem affluxum irritantur. Urticatio hanc ſequitur, minus tamen priori commoda eſt; præter enim quod dolorifica ſit, inſignemque tumorem excitet, dum pars affecta recentibus urticis uritur; etiam liquorem ſalino-acrem ſanguini, pauca licet quantitate, inſtillat: id quod teſtantur Obſervationes *Leeuvvenh.* p.107. Urticæ mox à nativitate aculeis cavis donantur, qui humorem quendam acrem guttatim ſtillant; hic per foramen, ab acie aculeorum factum, ſanguini inſtillatus, quamvis nullus aculeorum fractus in cute hæreat, dolorem, calorem & tumorem iſtum excitat, quem à

 con-

contactu hujus plantæ percipimus: recentes tamen & mediæ tantum ætatis urticæ hoc liquido turgent, inveteratæ aculeis equidem armatæ ſunt, ſed inanibus, unde ſine noxa contrectantur: à quibus non diſſentiunt, quæ nobis communicat *Anatomia plantarum Malpighij. p. 137. de aculeata Urtica Fig. 93. Intus Cava eſt hæc ſpina & ſucco referta; inducta cicatrice penetrando Uriginem, & tumorem, fermentatione media, velut infuſa aqua regia excitat.* Sed revertimur ad reliqua Topica, Caput Cucupha, aliaſque afflictas partes Sacculis, ex ſupra celebratis Specificis Cephalicis conſutis, involvamus. Membra ſuffitu ex Thure, Maſtiche, Succino, Benzoë &c. foveamus. Neque omittendæ ſunt Lotiones Capitis, præſertim, Occipitii, & artuum, aquis aut Spiritibus ex. gr. Spiritu Vini Camphorato, aliiſque ſupra deſcriptis liquoribus leniter calefactis: unde nec Olea, & ex his Balſami, cum Unguentis, Linimentis, Cataplaſmatibus Nervinis ſpernenda veniunt. Numerum porro augere poſſumus pinguedinibus animalium, Cervi, Vulpis, Hominis &c. Colophonem imponamus Emplaſtris, ſi præſertim vis externa præceſſerit; fingi autem poſſunt ex Gummi Animæ, Elemi, Galbano, Opopanace, Sagapeno, Terebinthina, Pice &c. Obſervatu dignum adhuc reſtat, enarrata Specifica Cephalica non ſemper & ubique convenire, ſed potiſſimum ſi caput proprio vitio & nervi laborant: moderandus quoque eſt eorundem uſus, ne exceſſu, ſanguinis ſpirituumque turbemus motum, eoſdemque irritemus, unde major obſtructio generari poteſt: neque hoc de Externis Cephalicis tantum, ſed magis quoque de Internis antecedentibus valet. Priuſquam hanc deſerimus Theſin, neceſſitas efflagitat, inſuper monere, ne Empyricorum conſuetudine, Nervorum afflictorum inſertioni, ſed principio applicemus remedia, ibi enim fons & origo mali hærere ſolet. Agmen merito claudunt verba Celeberrimi *Wedelij in A. M. M. p. 123. Sic curavimus hemiplecticos & paralyticos plurimos generali illa ſive ſpeciali potius Methodo: 1. dando quæ nervorum poros reſerant, 2. quæ ſpiritus animales confortant, 3. quæ acidum figens excutiunt, non omiſſis externis unguentis nervinis & urticationibus.*

XVII.

XVII. Jam in BALNEA descendimus, quæ quidem non ejusdem generis, sed in Sicca & Humida dispescuntur. Sicca fiunt, igne carbonum in peculiari fornace accenso, vel spiritu Vini, Juniperi, ardente, decocto herbarum convenientium fervido, quod si remittit, silicibus aut scoriis ferri ignitis resuscitatur, æger domunculæ ad talia fabrefactæ includitur, aut duplicatis tegitur linteis, & tali ratione sudat: licet incommoda quædam adjuncta habeat, quod nimirum multum fatiget, ut non raro animi deliquium superveniat; haud parum tamen utilitatis quoque continet, quod ex eo potissimum apparere potest, experientia docente, aliquando ægrotantes in tali sudatorio, libero motu paulo ante paralyticorum artuum frui: ita ut spes affulgeat, iteratum tale, ab incunabulis statim morbi, omne malum, junctis subsidiis aliis auferre posse: alias enim veluti somnium, relicta tantum juvaminis memoria, fructus istiusmodi Balnei & quidem mox ab ejus cessatione transit. Hæc etiam Balnea Encomiis mactat *Ettmüllerus Differt. de Medic. Baln. Artif. p.262. à morbo enim quocunq;, si homo illum imminere sentit, illud Balneum non solum utplurimum præcavet, sed etiam amissam sanitatem sæpissime ægro restituit.* Humida nunc sequuntur, Semicupia ex decocto plantarum Cephalicarum &c. aliaque particularia cum fæcibus Vini, Vinaceis, Vino rubro &c. valde tamen dubito, morbum latum unguem hisce cessurum, ni causa mali hæreat in parte liquori immergenda. Thermarum nunc ebullientium lustremus virtutes; plurimi in eo conveniunt, quod laxis, humidis, ichorescentibus malis & subjectis similibus prosint; ita enim *Wedelius l. c. p.279. sit v.g. æger Scorbuto frigido laborans, incipiente cachexia, laxitate viscerum, statione humorum, acore prædominante, nervis ab humore frigido, ab acido contractis & male habentibus, præsto sunt exiccandi & alterandi, quin & purgandi virtute, Thermæ.* Omnibus autem indiscriminatim convenire, damnum crebrius ex earundem usu contractum reclamat; hinc inde enim testimonia & Observationes occurrunt, non solum Thermas non juvisse, sed rem in pejus quoque mutasse.

XIIX. Restat brevissimis monere, in Paresi ex Colica, Ar-

thritide,

thritide, lenioribus purgantibus aut enematibus tantum agendum esse, ut etiam in Paralysi à Convulsionibus cautius mercandum; in affectu cum & à Scorbuto antiscorbutica reliquis convenientibus esse maritanda. In morbo ex ictu, casu, luxatione, contusione, vulnere &c. luxata reponenda, extravasata discutienda vel resolvenda, vulnera mundanda, aliisque Chirurgicis auxiliis curanda, bona Methodus suadet.

Hæc sunt BENEVOLE LECTOR quæ pro ingenii modulo conscribere animus erat; brevitatis interim Cultores, pagellas, nec Observationum multitudine, neque Opinionum copia, aut Controversiarum phalange multiplicare voluimus; innumeræ enim sunt, nunquam finem habituræ: Veritatis potius Studiosi, quæ unica est & simplex, ex omnibus optima veroque consona selegimus, additis etiam propriis observatis, cogitatis, expertis. Neque hoc novum aut insolitum, nulliusque consilio factum reputabis, non enim nobis desunt Exempla Gravissimorum Virorum, qui eandem tenuerunt viam, aliisque calcandam suaserunt: innumera quibus obstrictus sum beneficia, aliis nunc præponere jubent Virum Amplissimum atque Excellentissimum Dominum MARCUM MAPPUM Med. Doct. & P. P. Celeberrimum, Promotorem meum omni observantia prosequendum. Prudenter enim monet in *Differt. Inaug. Prooemio. Disputantis esse, non tam quid quisq; dicat, sed quid omnibus dicendum sit, videre.* Hoc equidem optimum Consilium sequuti sumus, an autem in omnibus & singulis exoptatum ejus finem simus assequuti, hæremus: perpensa enim rei difficultate, viriumque debilitate, de graviori uno vel altero lapsu nequaquam dubitamus. Memores insuper Universalis illius, *Errare Humanum*, à nemine alieni; agnoscentes præterea operum Mortalium cum *Ecclesiastico* imperfectionem, verissimo hujus Effato subscribimus. Homo autem, licet omnes laborando nervos intenderit, vix tamen primordia rerum attigit; & dum ad metam pervenisse sibi persuadet, multis adhuc Parasangis distat. Nemini enim Opera Divina exhaurire datum est; nam quis Omnipotentiam DEI dimetiri, aut admiranda ejusdem numerare valet?

***